



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. 2. De Sponsa duroum inter infideles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](#)

lib. de Abraham c. 4. nemo sibi blandiatur de legibus hominum; cùm aperte aliud sit de lege Christi.

§. 2.

De Sponsa duorum inter infideles.

749. Pluralitatem Uxorū, etiam infidelibus, post legem Christi Evangelicam esse illicitam, constat ex dictis; de his tamen quæri potest. An matrimonium infideliū durante infidelitate contractum, licet consummatum non sit, dissolvi possit? Resp. 1. non posse solvi ullā potestate humānā ex n. 738. & ratio est. 1. non potestate Principis Ecclesiastici, quia huic infideles non subsunt: deinde non Principis Laici; quia circa matrimonii dissolucionem nullam à DÉO acceperunt potestatem; & in eo, quod est divinæ institutionis, nihil possunt.

750. Quær. 2. an eorum matrimonium consummatum dissolvi possit auctoritate Pontificis justā causā interveniente, postquam uterque ad fidem conversus est? Resp. negativè cum Azor p. 2. *Instit. moral.* lib. 5. c. 2. Nam matrimonia fidelium, saltem consummata, solvi non possunt, nisi in casib⁹ jure expressis; sic Panorm. in c. *Ex parte de Convers. Conjugat.* §. Nos autem. & pat. ex textu, ubi habetur, quod, et si possit non inconsultè videri, quod matrimonium semel rite contractum conjugē utroque vivente in nullo possit casu dissolvi, nisi forte fecus fieret ex revelatione divina; solum tamen excipitur professio religiosa: ergo in reliquis, nisi in casu professionis, aut ejus, quod divinā revelatione habetur, verum manet, quod in nullo possit casu dissolvi; sed matrimonium infideliū consummatum, suscepto baptismo evadit consummatum matrimonium fidelium; ergo. Si dicas: nullus datur casus in jure ex prefissis, in quo possit solvi matrimonium fidelium consummatum. Resp. duplex esse consummatum matrimonium fidelium; primò, quod contractum & consummatum est tempore fidelitatis. 2. quod contractum & consummatum est in infidelitate, conjugibus tamen postea conversis ad veram fidem; & de hoc secundo procedit propositio, quā dico, matrimonium fidelium, saltem consummata, solvi non posse nisi in casib⁹ jure expressis, ut patet ex ipsis terminis quæstionis propo-

sitæ. Cūm enim matrimonia fidelium (accepta in secundo sensu) quantumvis in infidelitate consummata sint, dissolvi posse à Pontifice, doceat Navarrus, Sanchez, & alii apud Castropalaum D. 2. de sponsal. p. 2. §. 3. num. 2. (licet etiam in hoc puncto teneam contrarium) meritò loqui debui cum exceptione casum jure expressorum; pro quo illi Doctores affirmant, à Pontifice illa dissolvi posse. Hinc illud, quod opponitur: nullus datur casus in jure, in quo possit solvi matrimonium fidelium, consummatum in infidelitate, negant Navarr. Sanchez, & alii, volentes matrimonia in infidelitate consummata, possit conversionem solvi posse à Pontifice ex iusta causa, qualis esset professio religiosa unius è conversis; licet concedant, nullum dari casum in jure, quo solvi possit matrimonium fidelium in infidelitate consummatum. V. Castropal. cit.

Nec obstat Navarr. lib. 3. *Constit. de Convers. infidel.* & Sanchez. lib. 2. bīc D. 17. num. 2. apud Castropal. de sponsal. D. 2. p. 2. §. 3. n. 2. contrarium sentientes. 1. quia matrimonia infidelium, etiam consummata, non sunt Sacramentum; ergo non habent omnino modum exinde insolubilitatem, nec eam, quam habet matrimonium fidelium; c. fin. 38. q. 1. deinde insolubilitatem rato fidelium matrimonio in c. *Quanto, de divor.* Pontifex tribuit, quia est Sacramentum; si ergo hoc nihilominus à Pontifice solvi potest, juxta valde probabilem sent. multorum; poterit ergo & illud. Verum Resp. esto matrimonium infideliū consummatum, etiam suscepito baptismō ab utroque, non evadat Sacramentum ex dict. à num. 350. (licet alii hoc negent ibid.) consequenter titulo Sacramenti non habeat insolubilitatem, adhuc tamen solvi non posse à Pontifice, nisi in casib⁹ à Christo concessis, ut dictum est; habet tamen ex institutione divinā.

Quær. 3. an conjunx infidelis ad fidem conversus, non obstante matrimonio in infidelitate contracto, & consummato, validè, ac liceat transire possit ad aliud matrimonium? ante responsionem nota, quod unus conjugum infideliū, ab altero ad fidem converto, duplicitate discedere possit. 1. *physicè*, si nullo modo velit illi cohabitare; 2. *moraliter*, si qui-

cum eo velit habitare, sed non pacificè, nimirum sine injuria creatoris, aut periculo perversiōnis in altero, his præmissis:

Resp. quando infidelis ob nullam aliam causam habitare renuit cum converso, quām quia conversus, & fidem Christi amplexus est, conversum validē, ac licitē, illo relicto, posse transire ab aliud matrimonium; Conf. ex c. simili modo 28. q. 1. ibi: simili modo si quis ex conjugatis (intellige infidelibus) baptizatus est, & alter gentilis, eum sequi non vult, sicut dixit Apostolus: infidelis, si discedat, discedat. Et ex Rubrica immediate sequentis c. ibi: sine culpa relinquitur, Iuxor, que cum fidelī habitate noluerit. Deinde ex c. Gaudemus 8. de Divort. ibi: qui autem secundum ritum suum legitimam repudiaverit Iuxorem (cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobatur) nunquam eā vivente licet poterit aliam, etiam ad fidem conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso.

Ex hoc sequitur. 1. idem dicendum, si velit quidem cum eo habitare physicè, sed non moraliter, nimirum sine injuria creatoris (quod fieret, si nomen Christi despiceret, ejus cultum impeditur, aut conversionem Domesticorum &c.) Conf. ex c. Gaudemus, ibi: aut etiam consentiat, non tamen absq[ue] contumelia creatoris, & c. Quanto. 7. eod. ibi: si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam converteratur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit.

Sequitur. 2. idem dicendum esse, si Conjunx infidelis incitarer fidelem ad peccatum grave; sic enim saltē indirectè injuriam irrogaret creatori; colligitur ex c. Idolatria. 28. q. 1. ibi: (ut habet Rubrica) licet dimittitur Uxor (nimirum infidelis) quae vitum suum (intellige fidelem) querit ad malum; & conf. ex cit. c. Quanto, ibi: vel, ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente; & cit. c. Gaudemus, ibi: vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum. Ratio horum omnium est ex c. 1. ad Corinth. 7. ubi Apostolus promulgat dispensationem Christi, factam in datis casibus ibi: si infidelis discedat, discedat. Neque enim servituti (sic

appellat matrimonii vinculum) subjectus est, soror, vel frater conversus, qui postea ad alia vota transire.

Ex hoc autem oritur quæstio, an matrimonium infidelium dissolvatur ipso facto per hoc, quod unus eorum sit conversus ad fidem. Resp. à quibusdam apud Castropal. D. 3. de sponsal. p. 2. §. 3. num. 4. affirmari, in prædictis casibus ipso facto, quod infidelis à converso discedat, solvi matrimonium; quia Paulus expressè dicit: fidem liberum esse à vinculo conjugii, si alter discedat. Verum alii probabilius docent, non solvi prius, quām fidelis aliud matrimonium contrahat. Collig. ex c. Gaudemus, de divortiis. ubi dicitur, quod conversus ad fidem compellendus sit, recipere Iuxorem priorem, postea conversam, si matrimonium aliud nondum est contractum. Paulus autem dicit, fidelem solutum à vinculo conjugii prohibentes, aliud conjugium; non autem à vinculo obligante fidelem, si, antequam aliud matrimonium ineat, etiam alter convertatur.

Dices. 1. sine claro periculo injuria 756. creatoris fidelis conjugi infideli cohabitare non potest. 2. in CC. Toleran. 4 Can. 6. prohibetur, ne Uxor Judæa ad fidem conversa cum vero Judeo in infidelitate permanente habitet. ad 1. Resp. s̄epe posse cohabitare non modò sine omni periculo peccati, sed etiam cum sp̄e conversionis, ut ostendunt plura exempla ad 2. Resp. CC. illud non extendi ad omnes; cum fuerit tantum provinciale; nec loqui de omnibus conversis, sed conversis ex Judaismo, & quidem de Uxore periclitante ob subjectionem Viri. Et si illa discedat, ducta non infidelitate Viri, sed vi hujus præcepti, non verificaretur, quod infidelis discedat.

Ex hoc Coll. 1. fidelem ab infidelitate convertum tāndiu ligari vinculo matrimonii prius contracti cum infideli, quam diu iste à converso non recedit, vel physicè, vel moraliter. Coll. 2. infideli converso, à quo infidelis non discedat, non licere assumere sacros ordines sine infidelis conjugis consensu; quia non licet illi assumere statum incompossibilem cum matrimonio; Sanchez. lib. 7. D. 76. à n. 1. Et quia suscepit ordinis sacri non solvit matrimonium fidelium, etiam ratum, multò minus solvet matrimonium

Tom. IV.

Bb

nūm


nium consummatum fidelis cum infidelis; Sanchez. cit. circa fin. num. 7. Coll. 3. probabilius eriam esse, hoc matrimonium nec religiosâ professi ne solvi; quia hæc potestas solvendi matrimonium consummatum, nullibi attributa est Professioni Religiosa; sic Castropol. cit. num. 12. Hurtad. D. 8. Difficult. i 4. num. 52. licet contrarium teneat Sanchez. D. 76. n. 12. Nec obstat, quod illud solvatur, quando unus infidelium ad fidem veram convertitus, altero in infidelitate permanente, ac converso sine creatoris injurya cohabitare nolente, init aliud matrimonium. Nam hoc contingit DEI dispensatione, per Apostolum intimata, in favorem veræ Religionis, ne fidelis cogatur vitam ecclesibem ducere, vel cum infidele obstinate permanente in perfidia, cum perversiois periculo, permanere; quæ ratio non militat sponte assumptâ vitâ cœlibe.

758. Quæres. 4. an infideles, qui durante infidelitate contraxerunt matrimonium in gradibus prohibitis jure solum Ecclesiastico, debeant post conversionem suam, ab invicem eo titulo separari? Resp. quod non, ex c. Gaudemus, ibi: quia in præmissis gradibus licet contractum est à Paganis, qui constitutionibus Canonis non arctantur; & ideo dicit Apostolus 1. Corinth. 7. si quis frater infidelem habeat Uxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam.

759. Quæres 5. an Vir infidelis, qui durante infidelitate plures Uxores simul habuit, suscepso baptismino possit omnes simul retinere? Resp. negative, ex cit.

c. Gaudemus, ibi: nunquam licuit insimul plures Uxores habere, nisi cui fuerit divina revelatione concessum. Ex hoc sequitur quod talis Vir infidelis, post suam conversionem debitam retinere primam Uxorem legitimam, si hæc (etiam non conversa) cum eo pacifice velit cohabitare, sine contumelia Creatoris. Ratio est ex cit. c. Gaudemus, ubi Coniugi ad fidem converso non conceditur, legitimam Uxorem, etiam non conversam dimittere, nisi nolit ei pacifice (juxta num. 752.) cohabitare. Sequitur. 2. Si prima legitima Uxor nolit ad fidem converti, nec Viro converso pacifice cohabitare juxta num. 752. posse illum eam dimissam ducere aliam, vel ex his unam, quas prius habuit; sed non legitimè; vel novam extra illas. Ratio hujus est ex præced.

Sequitur. 3. Si Uxor infidelis, sed legitima, noluit Viro converso pacifice in principio conversionis cohabitare; postea tamen (antequam conversus ducat aliam) mutata mente convertatur; aut adhuc quidem infidelis, sed illi pacifice cohabitare velit, conversum non posse ducere aliam. Conſt. ex c. Gaudemus, ibi: quod si conversus ad fidem & illa conversa sequatur, antequam propter causas predictas, legitimam ille ducat Uxorem; eam recipere compellatur, ubi not. propter causas predictas. Nam inter eas, ob quas potest aliam ducere, est, si mulier infidelis nolit ei pacifice convivere; ergo ubi vult, non potest aliam ducere.



QUÆ-